OBSERVATIO DE MAGNA GLANDULARUM VASORUMQUE LYMPHATICORUM, POST CASTRATIONEM IN ABDOMINE ORTA, DEGENERATIONE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PATHOLOGICO-MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE V. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXIX

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

HENRICUS GUILELMUS KNIPFER
SOLTQUELLENSIS.

OPPONENTIBUS.
FR. HAUCK, MED. ET CHIR. DD
C. KRAMER, MED. ET CHIR. DR.
J. MICHELS, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,
TYPIS BRANDESIANIS ET KLEWERTIANIS.

VIRO ILLUSTRISSIMO

W O L F F,

MED. ET CHIRURG. DR., SUPERIORI NOBILIUM TIRONUM MEDICO, AEGROTORUM MORBIS INTERNIS IN CARITATIS NOSOCOMIO LABORANTIUM DIRECTORI, NEC NON CLINICI MEDICI MODERATORI, ETC. ETC. ETC.

HASCE PAGELLAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Jam per longum tempus materiam e rerum medicarum chirurgicarumque ubertate, quam ad specimen hoc inaugurale conscribendum, sumam, eligere, frustra conatus sum, quum mihi, tironi, adhuc in studio elementorum doctrinae tam amplae, versanti, tum tempus, tum ingenium deesset, ut quid novi in lucem proferam. Antiquum vero illud axioma: experientiam fundamentum esse medicinae, sequenti, haud inutile videbatur, factum magni momenti quoddam a me observatum enarrare. Anno enim novissimo, quo medico-chirurgi inferioris munere, in nosocomio caritatis, functus sum, inter tam innumerabiles morborum casus, et hic, quem demonstraturus sum, observationi meae traditus est. Ne

vero nova aut rarissima et inaudita dicam, hunc morbi casum pro ceteris posui, sed, ut hoc novo argumento, illa jam prius comperta, confirmem, cum etiam quod rarissime accidit, totus morbi decursus tam manifestus sit. Praeterea hic casus pro diagnosi fungi medullaris testiculi, magni pretii est, cum morbus, cum sarcocele, et vix, ut in ceteris observationibus notis, cum hydrocele confundi potuisset, quod propter fluctuationem, quae sub tactu digitorum saepissime perperam sentitur, facillime evenit. Minime vero adhibiturus sum, quo modo hic morbus ex antiquissimis temporibus magis magisque a medicis repertus et tandem cognitus sit. Neque causam proximam morbi, qui lente sub cinere latens artemque medici, patientiam aegroti deridens, certo ad obitum ducit, declarare, aut sententiam medicorum peritissimorum oppugnare et pro ea, hypothesin multo pejorem proponere audeo, sed modo memorare, tento, quibus praecipue symptomatibus hic morbus in testiculo agnocitur.

Fungus medullaris inter corporis glandulosas partes, potissimum testiculi, obnoxius dicitur, qui saepenumero testes ipsos, rarius epididymidem ab initio invadens plerumque tam bladam indolem sibi adscribere solet, ut non modo aegrotum, sed etiam medicum decipiat omnemque mali gravioris

suspicionem diutissime procul arceat. Tumor elasticus, fluctuans ovalis, vulgo doloris expers, hydroceli haud absimilis est, quam ob rem non raro, ut aqua effunderetur, punctio est instituta, quae quidem praeter exiguum sanguinis efluvium, parum aut nihil levaminis introduxit. Hic morbus ob hydrocele partim majori pondere et opacitate tumoris, partim simultanea funiculi spermatici intumescentia, partim eo, quod tumor vel e medio aut toto testis circuitu oritur, in hydrocele autem e fundo proficiscitur, denique perturbatione contemporanea aut majori aut minori abdominis viscerum, nominatim digestionis instrumentorum, dicrepat quae perturbatio cum habitu cachectico huic morbo peculiari, combinata est. Morbo longius procedente, funiculus spermaticus sensim tumescit, nec doloribus ejus nec duritie intercurrentibus, aegri gravitatem ac tendorem femorum conqueruntur; glandulae inguinales tum externae tum internae tument, nec tantum juxta eorum cursum, verum etiam juxta vasa majora ingentes saepe tumores enascuntur, quibus fluctuatio illa fallacissima, quam supra jam diximus, inesse solet. Scrotum perinde ac partes illae exulcerantes inflammari incipiunt, ulceratio et sphacelus inde natus, multum substantiae morbosae extrudunt, aegrotumque ut plurimum

morti reddunt obnoxium, prius quam excrescentia fungosa sanguinolenta efflorescere possit.

Ac nos antea, L. B., quam morbi historiam, ipsam referam, benigne hasce qualescunque pagellas excipiatis, omni, qua par est, observantia rogo.

HISTORIA MORBI.

Ferdinandus Kaufmann, viginti octo annos natus, corporis constitutione mediocri praeditus, ac sutoris artem exercens, per totum vitae curriculum ab ullo morbo graviori se arreptum fuisse recordari non potuit. Ante octo fere menses priusquam in caritatis nosocomium receptus sit, dum ligna ceciderit, asciae manubrio testiculum dextrum suum offendit, quamquam haec contusio minoris momenti tantum esset habenda, dolores tamen nonnullos persentiebat, quibus, epithematibus frigidis, statim sponte loco affecto applicatis, tam bene occurrit, ut velociter inde illis remotis, medici auxilio et in posterum plane non egeret. Duobus inde ab hinc mensibus praeterlapsis, iterum testiculi dextri tumor inflammatorius ortus est, qui vero cura medica qua extra nosodochium in domicilio suo est gavisus, instituta, haud dissolvi potuit, sed sensim pedetentim in indurationem singularem

transibat. Permultis, variisque remediis, et internis et externis frustra adhibitis, tandem aeger ad caritatis nosocomium auxilium petens fugit, ubi exploratio accuratius cauteque instituta, sequentia nobis symptomata suppeditavit.

Aeger cholerico temperamento praeditus, robustus quidem non habendus attamen nullo modo debilis enervatusque nominari potuit; respirationis organa sine ullo vitio apparuerunt, quia eorum functiones expedite peragebantur et praetereaquod homo nunquam per vitam de ullo incommodo ex illis orto, est conquestus. Abdominis exploratio, quam prae omnibus accuratius instituendam habui, color faciei flavescens, sicuti in morbis, qui ex abdominis visceribus originem trahunt, evenire solet, maximamque nostram animi intentionem concitabat, nihil novi nobis ottulit, attamen in regione inguinali dextra aegrotus se a doloribus trahentibus ac tensis interdum vexatum esse, querebatur, qui autem citissime evanuerint testiculo sustento vel si aeger se reclinaverat. In dextro scroti latere testiculum sensimus pugni virilis magnitudine et quidem in massam densam mutatum, qui vero, manus levi attactu compressus, sine dolore evadit, simul tamen nonnullis locis fluctuationem sane parcam percipere licuit. Tumor vero in ceteris partibus suis, quamquam iniquus durioreque con-

sistentia, scirrho tamen longe absimilis se ostendit. Annulus abdomimis sine damno, et funiculus spermaticus et supra tumorem et in annnlo isto, integer tangi potuit. Cutis scroti magis rubefacta quam in statu normali et ob tumoris magnitudinem, minus corrugata apparuit. Haec symptomata hucusque enarrata et praeterea testiculi pondus haud quaquam exiguum, hunc morbum, sarcocelen testuli dextri nominare jusserunt; fluctuationem vero illam jam antea commemoratam, ex aquae accumulatione, quae simul cum sarcocele saepissime intrat, deducendam habuimus.

Aeger, permultis frustra adhibitis remediis, fatigatus, quam celerrime hoc malo liberari cupivit, qua ex causa testiculi tam degenerati ex stirpatio per castrationem, pro ultimo remedio, habita tali modo illi demonstrata est, cum corporis constitutio et omnium morbi alterius symptomatum defectus, operationi aptissima viderentur. Tum vero omnibus ad operationem provisis, illa ipsa in nosocomio nostro nono die M. Januar a. 1829, quinto inde a receptionis die, praeterlapso coram Cel. Wolff, cui Ill. Rust pro tempore clinicum suum chirurgicum tradiderat, atque permultis aliis viris maxime venerabilibus, sequenti modo a doctissimo experientissimoque Keyl, maxima manus dexteritate, est perfecta.

Aegroto, in mensam, glutaeis supra marginem illius prominentibus, deposito, dum pedes, scabellum occupantes, hac in situatione cum tenerent, minister chirurgi primus ad aegri latus dextrum se collocavit, ceteri autem, vel ut extremitates truncumque continerent, vel ut instrumenta, ubi res poscat, porigerent, functiòne gaudebant. Tum vero chirurgus, inter femora aegri locum tenens, scalpello, acie convexa instructo, inter pollicem et indicem manus sinistrae scroti cuti tensae incisionem fecit, ita ut tunica dartos illaesa apparuerit; eodem scalpello telam cellulosam circa vulnus et ipsam dissolvit ac tali modo vulneris ambitum auxit. Quo facto chirurgus scalpellum, cujns dorsum, indicis superficie volari obtegit, acie retroversa in superiorem vulneris angulum per membrana scroti interna demisit, et instrumentum super indicem, simul cum illo, promovens, partes illas plane dissecuit. Tum vero testis omnibus suis partibus tunica vaginali cohaerens apparuit, quem statim manu sinistra amplexus, chirurgus toto ambitu ab tunica interna dissolvit, et dissoluto illo, usque ad abdominis annulum funiculum spermaticum, nullo modo abnormem panniculo linteo, oleo calefacto, imbuto, involvit. Ipso autem funiculo, ministro primo tradito, ut quam maxime eum comprimendo, dolores aegro minueret, chirurgus ipse

manu sinistra testem extollens, funiculum spermaticum inferne secavit, haemorrhagia vero inde ex arteriis secatis orta, ligatura, (arteriis spermaticis exceptis, duae aliae sanguinem effuderunt) suppressa est. Quo facto, ac ligamenti reliquis partibus supra vulneris angulum superiorem lega artis affixis, vulnus, ut secunda intentio procrearetur, linteo carpto impletum et plumaceolo, cui unguentum simplex illitum erat, obtectum est. Aegroto lecto tradito, ad inflmmationem vulneris temperandam, embrocatio frigida illi applicabatur.

Prae omnibus, exploratio nunc testiculi exstirpati haud fuit omittenda; et nullus praesentium, qui tumoris istius pondus manu sua perscrutatus est, dubitare potuit, quin degeneratio sarcocele sit nominanda. Incisione autem, qua testiculus in partes duas dividebatur facta, unusquisque massam, a substantia carnosa longe differentem, at testiculi degenerati substantia potius illi medullae cerebralis comparanda erat, quae vero minus in peripheria quam in centro praecipue tumoris luculenter sese ostendit, ubi coloris rubicundi et majoris fuit consistentia.

Nunc ad aegrum rediens, morbi decursum, et localis et universalis consequentis, enarrare liceat. Ne longius extendeatur, mutationes gravioris momenti et commemoratu dignas, quam pos-

sum, referam, et, ut temporis spatium, in quo illae sunt ortae, exactius destinem, dies simul enumeravi.

Nono d. M. Januar. Operatione, quam ceterum vir fortissime pertulit, perfecta, aeger ab horrore, a quo vero omnia abfuerunt symptomata terribilia, est arreptus; refectus autem ab illo, iterum et altero die bene se habuit. Epithemata frigida et postero die continuabantur, in usum internum autem ordinatum est:

R. Emulsionis oleos. Unz. VI.
Magnes. sulphuric. Unz. I.
Sacchari albi Unz. ß.
M. D. S. Omni bihorio cohl. sumatur.

XII. d. M. J. A tempore vespertino hesterni diei ad suppurationem provocandam, pro epithematibus, fomentationes applicandae, jubebatur; aeger vix febriciat, de doloribus vehementioribus non conqueritur et desunt affectiones organi ullius consensuales. Obstructio alvi, qua laboraverat, remediis praescriptis resoluta est.

XIV. d. Linteum carptum, vulneri impositum, a pure impletum removeatur, nevesse est. Vulnus vitalitate caret, et, ut provocaretur, linteo hodie, unguento basilico impleto, obtectum

est. Aeger a doloribus atrocissimis in extremitate inferiori sinistra, ubi nervus cruralis decurrit, se vexatum conqueritur, simul cephalalgia ciborumque fastidio laborat. Refrigeratione pro moliminum causa habita, unguentum mercuriale femori affecto, infricatum est, quod iteratum dolorum quidem remissionem neque tamen cessationem attulit.

XVII. d. Ad causam dolorum rheumaticam removendam, extremitas ista panno laneo est involuta; aegrotus ad vesperam grana decem pulveris doveri accepit, et postero die, ne dolores redirent, balneo calido usus est; tum vero ex solio descendentis femur dolorificum iterum modo jam memorato inunctum atque indutum est.

XX. d. Vulneris, cujus diameter jam jam minor fit, natura, talimodo variat, ut unguentum, ne copiosius suppuret, amovendum sit.

XXIII. d. Arteriarum ligaturae auferebantur; aeger bene se habet; suppuratio parca, iterum unguento basilico augetur.

XXV. d. Dolores, femur sinistrum aequae fortes, totam jam extremitatem inferiorem dextram occupantes, miserum ita cruciant, ut circumstantes imploraret. Viginti guttulis Tincturae opii

sopiendi causa frustru adhibitis, postero die, cum causa occasionalis, vim exercens, nullo modo inveniri posset, vesicatorium ad decursum nervi cruralis cuti est applicatum, cujus effectus per tincturam opii iterum augebatur.

XXVIII. d. Aeger hodie sine doloribus, paululum refectus est, languor vero ejusmodi est, ut, tam nutrimenta quam et remedia, magis roborantia atque incitantia ei praescripta sint. Vulnus, ut cicatrice obduceretur, solutione lapidis infernalis, obtegi potuit.

XXXI. d. Vulnus concallescit, quam ob rem linteo tantum carpto obtegitur.

V. d. M. Febr. Continuatis, quae tam in internum quam externum in usum vocavimus, remediis, cicatrice vulnus est obductum; aeger autem, nutrimentis et medicaminibus eum non restaurantibus, magna laborat debilitate.

XIV. d. M. Febr. Vires adhuc desunt, attamen vir, se in familia sua facilius confirmatum iri, arbitratus, nosodochium relinquere vult. Quod cum eo facilius permitti potuit, cum morbus localis perfecte sanatus haberi poterat, revera nosodochio excessit.

Nonnullis inde a dimissionis die, diebus praeterlapsis, ac vix familiarium cura gavisus, aeger

denuo a doloribus acerrimis, attamen neque femur antea affectum, neque aliud vexantibus, sed nunc in abdomine fixis, correptum est, ita ut, viribus magis magisque collabefactis, iterum post novem dierum spatium, in caritatis nosocomium nostrum receptus, auxilium petere coactus sit. Hic in Clinico, morbo interno laborantibus, sub Cel. direct. Wolff dicato, aegrum diligentius mihi quaerenti, examinando phaenomena sequentia sese obtulerunt.

Aeger coloris faciei ex albo flavescentis, exilis fuit atque enervatus, lingua muco obtecta, appetitus deficebat, et abdomen normali extensior in tactu valde dolebat. Permirabiles venae in individuo hoc exili atque exsanguine, tam perspicuae ac torgidae in abdominis integumentis visu fuerunt, quippe quae decurrentes adeo perfectissime observarentur. Abdominis exporatio acurratissime perfecta, quam maxima quidem dolorum vis quodammodo impedivit, in regione epigastrica tantum, integumentis fortius intensis exceptis, de induratione nos certiores fecit. His vero neglectis sed potius ad morbi antecessa respiciens atque maciem aegroti insignem, sine dubio assimilationis organorum, atque in specie vasorum lymphaticorum ac glandularum, cum majoris alicujus visceris, functio laesa deesset, vitia pro morbi causa habui. Quae vero sententia, secundum casus morbi simillimos saepius

observatos, probabilior facta, simul morbi exitum infelicem praevidere permisit. Quae cum ita sint, aeger quotidie in balneum calidum missus est, internis vero remediis utebatur;

R. Calomelanos
Pulv. Herb. Belladon. $\overline{aa}$ Gr. ß
Sacchar. alb. Scr.
M. f. pulvis dirpensent. tal. d. No. VI. S.
Bis per diem.

tempore matutino et circa vesperum pulvis sumatur.

R. Mellag. Graminis
— taraxaci $\overline{aa}$ Unc. II.

M. D. S. omni bihorio cochlear majus sumendum. His medicaminibus per septem dies continue adhibitis, alvus qua obstructa laboraverat, ducta est, praeterae autem aeger neque in melius neque in pejus mutabatur; durabant enim dolores, simulque in regione iliaca sinistra aucti erant. Interdicto igitur pulveris supra dicti usu, mellagines adhuc per os inducebantur, simul vero aegro ordinatum est

R. Extract. Belladonnae Gr. II.
solve in
Aquae laurocerasi Dr. II.
M. D. S. ter quaterve per diem Guttulae viginti sumantur.

Praetereaque emplastrum cum opio puro malaxatum in latus dolorificum impositum est. Inter

haec vero, remediis his narcoticis et sane haud parca dosi consumtis, dolores tam acerrimi illum cruciabant, ut somno plane privatus sit, qua ex causa aucta ad grana tria extracti belladonnae dosi, opus esse existimabatur. Omnia vero haec conamina, ut valeat aeger, frustranea fuerunt; dolores acerrimi ad venae saphenae decursum in extremitate inferiori sinistra sese extendebant et postea ad axillas tendentes, extremitatum usum plane vetabant. Virium nequaquam negandus, collapsus, omnia remedia, quae aegrum debiliorem reddere potuissent, remittere poposcit, ceterumque morte appropinquante, dolores, ut modum servarent, respicere. Ut igitur indicationibus his satis fieret, oleum amygdalarum amararum aethereum cum oleo papaveris mixtum, in partes istas inunguebatur, atque tinctura opii pro remedio interno porrecta est. Hac vero cura, ultimo vivendi spatio revera tolerabile facto, aeger denique morte exstinctus est.

CADAVERIS SECTIO.

Abdominis cavo obducto, totum intestinorum tractum compressum et imminutum invenimus, quo remoto, tumor totum cavum occupans, sequenti forma sese obtulit. A diaphragmate inci-

piens, aortae descendentis decursum perfectissime est sequutus; latere suo dextro hepar tetigit, atque lien, renesque, omnibus partibus suis normales, recepit. Tali modo totam vasorum ac nervorum massam continens ex singulis pluribusque tumoribus, forma ac magnitudine, pervariis, constructus fuit, qui secundum temporis spatium, ex quo originem duxerunt, partim massa duriori atque friabili, partim fusco ac sanguinolento ichore, fuerunt impleti. Prae omnibus hoc in musculi psoae, lateris sinistri, regione, conspiciebatur. Tumor cum posteriori superficie, columna vertebrali cohaesit, ut scalpello abscindere debuerimus, et aortae decursum imitans, in regione vertebrae lumbaris quintae, in partem, dextram et sinistram sese fidit, quarumquaeque musculo psoae incubuit. Tota tumoris nunc explicati, massa, quacum et lien et renes, uti jam ostendimus, conjuncti erant, pondus librarum octo implevit, si ichorem, ex inferiori tumoris parte memorata, effusum, reducimus, cujus pondus ad libram spectaret.

In pulmonis dextrae lobulo superiori etiam tumorem, ovi gallinacei magnitudine, ceterisque simillimum invenimus, et ductum thoracicum, usque ad venam subclaviam, ubi sese demittit, persequentes, calami scriptorii ambitum tenentem, pluresque tumores, illis in abdomine correspon-

tes, sed multo minores, ei cunjunctos, invenimus. Cel. Schlemm, cui pro obductione liberaliter facta, gratias quam maximas, ago, hoc revera memorabile praeparatum, ut propius exploraretur, reservavit, et ductum thoracicum, quem injecerat, musaeo anatomico donavit.

VITAE CURRICULUM

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS ADJECTUM.

Ego Henricus Guilelmus Knipfer, Soltquellis anno millesimo octingentesimo quinto, septimo die a Cal. Aprilis natus sum, a patre carissimo Johanno Knipfer, a matre Dorothea e gente Kufahl, christianaeque religioni secundum Lutheri formulas addictus sum. Ab anno aetatis nono Gymnasii Soltquellensis alumnus in literis, quae ad studia academica viam muniunt, eruditus et per triennium prima in classe versatus, anno 1824 Mens. Octob. civibus, Seminarii Regis Friderici Guilelmi medico-chirurgici adscriptus sum. Per quadriennium tunc hisce interfui praelectionibus virorum clarissimorum.

Cel. Wolff de hodegetice et logice, Ill. Rudolphi de methodologia et encyclopaedia medica, de anatomia dentium et organorum sensuum audivi.

Osteologiae, splanchnologiae, syndesmologiae, artis, formulas medicinales concinnandi et anthropologiae forensis praecepta accepi ab Ill. Knape. Eodem et Rudolphi in arte cadavera rite secandi praelectionibus gavisus sum. Ill. Link historiam naturalem et botanicen, Ill. Lichtenstein, zoologiam mihi tradiderunt. Frequentavi praelectiones, Ill. Hermbstaedt et Cel. Turte de physice, chemia et pharmacia, Ill. Rudolphi et Cel. Eck de physiologia tam generali quam speciali. Pathologia generali semiotice Ill. Fr. Hufeland, therapia tam generali quam speciali Ill. W. Hufeland et Fr. Hufeland, pathologia speciali et morborum mentis nec non syphiliticorum cura Ill. Horn me imbuerunt. Materiam medicam, fontium medicatorum historiam mihi praelegit Ill. Osann. Celsi de medicina libros Cel. Hecker mihi interpretatus est, qui simul disputandi exercitationes est moderatus.

Chirurgiam generalem, fascias applicandi praecepta, de ossibus fractis luxatisque doctrinam, artemque obstetriciam Ill. Kluge me docuit. Tradiderunt mihi ophthalmiatricen Cel. Jüngken, chirurgiam generalem et specialem Ill. Rust, akiurgiam Ill. de Graefe, Rust et Kluge.

Exercitationibus clinicis medicis adfui Perill. C. W. Hufeland, Ill. Bartels et Neumann; chirurgicis Ill. de Graefe et Rust; ophthalmiatricis Cel. Jüngken.

Omnibus studiis peractis medico-chirurgi inferioris munere in nosodochio caritatis Berolinensi per annum functus sum.

Jam vero tentaminibus et examine rigoroso coram gratiosa medicorum facultate absolutis, spero, fore, ut hac dissertatione, thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur. Quibus factis, Parthenopolin me conferre jussus sum, ut munere medici inferioris militaris fungar.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Arteriotomia nunquam indicata.

II.

Nullum capitis vulnus, trepanationem postulat.

III.

In quoque vulnere, prima intentio est tentanda.

IV.

Scirrhus mammae amputationem indicat.